

minua transiit peccatum suum. En, inquit, Ambrosius, quantum ira syllaba valeant. Cui subscribens Cyrianus: O penitentia, inquit, quid de te noni referam? omnia ligata soluis, omnia contrita sanas? Atque hoc cor est, quod servum iussit Angelus.

2. Fel, seu afflictionis tolerantia. I. a. 28. 19.

2. Fel, est afflictionis tolerantia, quæ & Contritionem iuvat & Mortificationem. Fel istud ærumnarum amare suo nitidos & acutos admodum reddit oculos. Nam, quod Isaias dixit: Vexatio dat intellectum. Afflictio elleborum est, quo Deus noxiam & peccantem redundantiam à nobis depellit, & ad mentem sanam reducit, Nos saepe deturbamur de mente, & ad insaniam redigimur ob prava animi afflictiones, quæ in furorem & mentis alienationem nos agunt, ideo Deus elleboro suo consilium & sensus fugitios revocat.

Garfas I. a. de plantis Indici, c. 1.

Indie arbor est, quam arborem Tristem indigenæ appellunt. De hac Garfas ab horto disserens: Arbor Tristis in India, inquit, nunquam floret nisi post solis obitum; interdiu folliculos, seu, calyces clausos habet, noctu aperit, tanquam solem reformidans, sicut vespertiones non volat nisi nox offundatur, & tenebræ incedant: sic plurimi hominum nunquam ita compositi ac modesti, ita dociles, ac devoti sunt, quam cum ægroti, aut aliis ærumnis pressi sunt. Tunc precantur, tunc manus cælo attendunt, & omnem promittunt sanctimoniam. Tunc demum oculos aperiunt, & acutum cervunt, cum in oculis fel ærumnarum sentiunt. Vexatio dat intellectum.

3. Iecur, seu Mortificatio. Rom. 8. 13.

3. Iecur prunis impositum, est edomatio carnis, seu Mortificatio. Lex certa est, quam beatus Paulus diuino Spiritu iubente dixit: Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quando magis viget, vivitque caro, tanto magis interit spiritus. Prunis imponendum est iecur, sumus eius extricat omne genus demoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. De demonibus fugandis Christus: Hoc autem genus, inquit, non eicitur nisi per orationem & ieiunium. Nemo vniquam vicit diabolum, qui nequit carnem vincere. Hic ingenti opus est sui edomandi solertia. Multa corporis commoda fastidenda, gratia contra & aspera in amore habenda, ut quibus solis adolere virtus infuerit, quæ mollibus alioqui & iucundis præfacatur. Res certa: qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. At verò caro, eiusque prava cupiditates nullis clavis aptius figuntur, quam abstinentia & ieiuniis. Hoc autem est, quod maxime horremus: ne inedia toleremus, excusationes mille adferimus. Ob bona pecora ad pastum nata! Saturitate diabolus non fugatur, qui veluti canis non recedit, dum patet macellum carnibus plenum. Hic Cerberus non abigitur copioso & lauto pasto; per orationem, & ieiunium eicitur.

Tob. 6. 8.

Matt. 17. 21

Galat. 5. 24

§. II.

3. Quæstio. Quomodo res sensibiles agit in spirituales. Tob. 6. 8.

Quæstionula 3. è Theologiæ scholis petita, quomodo res sensibiles agit in spirituales, fumus iecoris in diabolos. Dixerat enim Angelus: Cordis eius par-ticulam, si super carbonem ponas, fumus eius extricat omne genus demoniorum. Quid virtum habet fumus contra spiritus? Multa hic Theologi. Et constat è factis Regi, Saulem in furorè à diabolo actum, modis musicis restitutum ad se rediisse. Ideo David in citharædum regium aula adscriptus. Plurimi ante Saulem intemperis acti & à malo dæmone in cæsi symphonia convaluerunt ex malo. Iosephus testis oculatus: Vidi enim, inquit, ex popularibus meis quandam Eleazarum, in præsentia Vespasiani, & filiorum & tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percutantem. Modus verò curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaco annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicata, ad eius olfactum per nasum extraheratur dæmonium, & collapsio mox homine, adiurabat id, ne am-

Ioseph. li. 1. Antiquit. cap. 2. post initium, mibi, pag. 257.

plius redire: Salomoni interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens dein Eleazarus his, qui aderant, ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut pollubrum aqua plenum: imperabatq; dæmonio ab homine exuncti, ut his subueris signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem. Quo facto nemini dubium erat, quanta fuisset Salomoni scientia, & sapientia.

Ergo engumeni, si Iosepho fides, odore singularis herbæ curati. Alii fanaticos virgus aut flagris cædunt in remedium, ita enim agitantur ab iis futias expelli aiunt. Sunt, qui infellos à malo dæmone, excrementis caprinis velut catapotis curent.

Ad hæc omnia Theologorum scholæ, si cum iis loquendum, ita respondent: Corporalia in spiritum, aut spiritalia nequeunt directè agere, sed indirectè; naturaliter tamen dum corpus à malo genio infestum ita comparant, ut demum cedere cogatur dæmon. Exempli gratia: In homine Iracundo, qui flava vel atra bile (cholera vocant & melancholiam) abundat, in eo certè eadem longè suavitius habitat, quam in homine sedata indolis. Quòd si in altero illo fel minuatur, diaboli habitatio destruitur: maull enim cedere, quam in comòdè habitare. Quòd si caprarum excrementa, vel ridiculum quid fieri genitibus appensum fuget dæmonem, id ea causa enervandum, quòd summa dæmonis superbia ferendo non fit eiusmodi contemptum. Sed & illud ingenè fateamur, in indagandis rerum naturis plurima latere, quæ ignoremus. In hoc etiam Orbe nostro innumera rerum naturalium arcana tegi, quæ nesciamus, nec vnquam dum hic viuimus, penetraturi simus. Plurima scholarum conclusuunculis affirmantur, aut negantur. quæ etiamnum incertissima sub iudicis sceptro pendunt. Hæc, inquit Augustinus, rider Auctoritas diuina. Certissima ea est sententia, scire quam parum sciamus, & quam in multis nihil cogniti, nihil experti habeamus. Non nimium æstimemus, obsecro, argutatunculas nostras scholasticas, secreta naturæ plurima nunquam rimabimur; infinita Dei arcana nec quidem eminus hic contuebimur. Rex David simile quid conatus: Existima-bam, inquit, ut cognoscerem hoc; labor est ante me donec in-trem in sanctuarium Dei. Tanti regis sapientia hic cæcirit, quid tu tibi angustæ vernula capse polliceris? sapienter & ingenue fecerimus, si nostram potius ignorantiam confiteamur, & cum Paulo sic clamemus: O altitudo diuinarum sapientia & scientia Dei! Hæc tamen sciemus omnia, sed olim, sed in cælo, vbi scientem omnia contuebimur.

num respon-sio.

Cessante conditione sine qua non.

Psal. 72. 16. & 17.

Rom. 11. 33.

§. III.

Hic in minimis saepe hallucinamur, aut ore hiant miramur, quæ non satis capimus. Quàm illa nobis noua & admiranda; Petri vmbra, Pauli sudaria & semicinctia perlanarunt ægros: Petri verba paucula Ananiam & Sapphiram ita fulminarunt, ut subito expirarint. Et quod magis admirandum. Senilis est corporeus auernalis ignis, diabolos tamen & damnatorum manes cruciat. Ergo corporatum aliquid in spirituale agit. Qua tandem ratione? nescimus. Occulta Dei vis rebus creatis iuncta patrat hæc admiranda. Deus hic primarius actor, cetera illi ut instrumenta subseruiunt. Complura sunt, quæ Ecclesiæ precibus sacra sunt, Theologis sacramentalia dicuntur) in his numerantur aqua, oleum, cera, herba, vinum, edulia, suis quæque temporibus consecrati solita. In horum numero habentur Exorcismi, sacra Martyrum, aliorumque Diuorum lipiana, signum crucis, sanctissimum nomen IES VS.

Nomen Iesu est salu-tiferum ac clausum & ore promptum assidue feramus.

Hoc saluterum ac venerabile nomen & pectore clausum & ore promptum assidue feramus. Nec enim cherubile, aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos

43. a. 12.